CAROLI EMANVELIS SERENISSIMI SABAVDIAE DVCIS, SVBALPINORVMQVE PRINCIPIS,

ET AVGVSTISS. CATHERINAE AVSTRIACAE PHILIPPI SERENISS.^mi ET INVICTISS.^mi HISPANIARVM REGIS FILIAE

Epithalamion.

Iano Peluſio Crotoniata Authore.

Ex officina Io. Bazachij. Permitt. Sanct. Inquiſit.
PLACENTIAE. CIↃ IↃ LXXXV.

AD CAROLVM EMANVELEM
Sereniſſimum Sabaudiæ Ducem, Subalpinorumq; Principem.

Ianus Peluſius Crotoniata.

*DVCVM maxime quot beata tellus
Nobis Italiæ tulit, precamur
Curuo poplite, nuptiale munus
Hoc noſtrum tenue, & nimis puſillum,
Sic fronte accipias ſerena, vt eſſet
Diſertiſſimi, atq; optimi poetæ.
Non eſt coniugio tuo, tuaq;
Dignum coniuge regia: fatemur.
Sed quando impoſuit mihi neganti
Onus tam graue, tamq; ponderoſum,
Principum decus omnium, Ducumq;,
Et Parmæ, & Trebiæ futurus hæres,
Hoc Ranutius inclytus puellus,
Et Princeps cupidus tui, tuæq;
Seruus coniugis. Ipſe quidquid eſt id,
In partem accipias bonam: & tuorum
Aſcribas numero hunc nouum clientem.
Qui ſi ſenſerit has ſuas Camænas
Gratas eſſe tibi, tuos honores,
Virtutesq; tuas, tuumq; nomen
Vatis alite Pindari, aut Maronis,
Quamprimum ſuper alta tollet aſtra.*

CAROLO EMANVELI
SERENISS. SABAVDIAE DVCI,
SVBALPINORVMQ. PRINCIPI,
& Auguſtiſſimæ Catherinæ Auſtriacæ Philippi Sereniſſimi & Inuictiſſ. Hiſpaniarum Regis filiæ,

Ianus Peluſius Crotoniata. S. P. D.

CVM in hoc epithalamio de veſtro celeberrimo coniugio, ampliſſimiſq; laudibus agatur, non ab re fore exiſtimaui, ſi illud non alijs Ducibus, aut Principibus, ſed veſtræ tantum Maieſtati conſecrarem. Vt quando indiſſolubili vitæ ſocietate ad ſobolis propagationem coniuncti eſtis, cum per occupationes licebit, eo quoq; non ſeorſum, ſed coniunctim fruamini, Vobis perſuadere, tantam prouinciam non à me ſponte ſuſceptam, ſed ab Illuſtriſsimo, & Excell. Ranutio Farneſio diſcipulo meo, & veſtræ Maieſtatis ſtudioſiſſimo mihi datam fuiſſe. Malui audax, & temerarius præceptor videri, quam tanti diſcipuli, & magnanimi Herois non morem gerere voluntati. Qua in re hoc vnum me conſolatur ac recreat, quod veſtra inaudita, atq; incredibilis animi lenitas & clementia hoc noſtrum nuptiale carmen, & generoſiſſimo puero obſequendi deſiderium æqui boniq; conſulet: & ego qui hoc onus quoad fieri potuit, detrectaui, ſi tam luculentam materiam carmine complexus defecero, nullo pacto ero culpandus, ſed Princeps; qui illud homini imperito, & in hoc ſcribendi genere parum exercitato imponere voluit. Quid enim de adoleſcentulo Italorum Ducum maximo loquar, quod eius excellentiæ, & celſitudini reſpondeat? Quid de Auguſtiſs. filia Philippi Regum omniũ maximi, & potentiſſimi referam, quod illius Maieſtate inferius non videatur? Quid præterea enuntiem, quod tantarum nuptiarum magnificen-

tia, & elegantiæ par eſſe poſſit? Quum ad eas concelebrandas tota Italia, Hiſpania, Gallia, Germania, ac potius vniuerſus Chriſtianus orbis plenus gaudij, plenus lætitiæ, plenus voluptatis tum Barcinonem, tum Taurinorum Auguſtam confluat? earumq; cauſa ciuitatum concurſus, oppidorum effuſiones, ampliſſimarum mulierum ſtudia, Optimatum, Procerum, Principum, Antiſtitum purpuratorum, Dynaſtarum, Regum, Imperatoris, & ſummi deniq; Pontificis gratulationes videam? Doleo equidem, & vehementer doleo, per ingenij mei tenuitatem per latiſſimum veſtrarum virtutum campum mihi currere non licere. Audires profecto Carole, (vt à te tanquam vxoris capite initium ſumam) Maiores tuos ab antiquiſſimis, & potentiſſimis Saxoniæ Regibus, & Ducibus oriundos, mille annos nunquam interrupta regnandi ſerie, in tua Sabaudia feliciſſime regnaſſe, & auita nobilitate, & rerum geſtarum magnitudine Ducibus omnibus, quot vbiq; terrarum ſunt, longo interuallo anteire. Quibus enim non in Europa tantum, ſed in Aſia, & Africa, tuæ Familiæ illuſtria, & glorioſa facta obſcura, & ignota eſſe poſſunt? Quum ex ea referre liceat, in quouis virtutis, & laudis genere fortiſſimos Comarchos, clariſſimos Marchiones, excellentiſſimos Principes, præſtantiſſimos Duces, inuictiſſimos Reges, & maximos Heroas. Sileo quot exercitus deleuerint, quot victorias adepti ſint, quot trophæa in terra hoſtili ſtatuerint. Nec enumero coronas oua les, & triumphales. Tranſeo opes, affinitates, amicitias, clientelas. Omitto villas, pagos, oppida, vrbeis, prouincias, & quas tu illorum verus, & legitimus hæres adhuc poſſides: & illi quondam poſſederunt. Tua fuit olim Achaia, Flandria, Burgundia, Cypros, Tenedos, magna pars Galliæ Belgicæ, & Heluetiorum: multa oppida Britanniæ, Liguriæ, Galliæ Narbonenſis. Sabaudici etiam iuris fuerunt Salutiæ, Latobriges, Vantuates, Geneua, Capua, Sabatium. Rhodon certe Carpathij maris inſulam nobiliſſimam, & Reipub. Chriſtianæ firmiſſimum propugnaculum Scytharum obſidione, & metu ſeruitutis liberatam, Maiores tui equitibus Hieroſolymitanis perhumaniter, perbenigneq; reddidere, prædaq; hoſtium claſſiarijs diuiſa, victores, & incolumes in Sabaudiam redierunt. Gothofredum in expeditionem ſacram proficiſcentem, inſtructa claſſe comitati, itinerum, laboris, periculorum, & victoriæ participes fuerunt. Taceo reliquos Duces ex tua familia inſigniores: recenſebo ſolum Emanuelem Philibertum genitorem tuum, qui Carolum Quintum Imperatorem mari terraq; ſecutus, in omnibus pugnis quas feliciter pugnauit, egregij ſemper militis, & mirifici Ducis munus impleuit. Eius opera, & conſilio Sanctoquintino (oppidum eſt loco, & ſitu muniтиſſimum) à Rege Philippo capto, vniuerſam Sabaudiam, & Subalpinorum regionem quam neſcio quo malo Fato Caroli patris ante amiſerat, recepit: & Auguſtiſs. Margaritam Franciſci Sereniſſimi & potentiſs. Regis Gallorum filiam vxorem duxit: ex qua te ſuſcepit. Qui quando ob teneram ætatem, nihil adhuc nactus es, in quo tuam

ſapien-

ſapientiam,& virtutem poſſes explicare: quæ tua propria bona ſunt enumerabo: habitum, formam, firmitatem,continentiam,dignitatem, rerum humanarum, & diuinarum cognitionem. Quid prudentiam; quid iuſtitiam, quid temperantiam, quid liberalitatem; quid pietatem, quid religionem commemorem? Ad hæc tanto es ingenij acumine,& dicendi præſtantia, vt ſiue paratus, ſiue imparatus dicas de rebus bellicis,poeticis,oratorijs,hiſtoricis, philoſophicis, mathematicis,ita apte,diſtincte,ornate, & copioſe dicis: vt non ipſa didiciſſe, ſed compoſuiſſe videare. De te vero Diua Catherina quid primum, quid poſtremum dicam? Num (vt pleriq; ſolent) tuorum Maiorum imagines, ſtatuas, coloſſos, pyramides, obeliſcos, arcus, titulos, noua acclamationum nomina,regna,imperia, prouincias, res geſtas, victorias, trophæa, triumphos enumerabo? An tuæ illuſtriſſimæ patriæ, clariſſimæ familiæ, generiſq; antiquiſſimi originem percenſebo? Quæ eſt in orbe terrarum regio, quæ inſula, quod municipium,quod oppidum, quæ ciuitas, quæ colonia, quæ gens,quæ natio quis populus, quis etiam adeo rerum ignarus, & rudis, qui neſciat, te paternum quidem genus ducere ex auguſtiſſimis Romanorum Imperatoribus, atq; præſtantiſſimis Archiducibus Auſtriæ, & Burgundiæ Ducibus? Maternum vero ex potentiſſimis Hiſpaniæ, Hieroſolymorum,Siciliæq; Regibus? Quorum facta, nomina, laudes, honores,virtutes,omnes iam annales, & hiſtoriæ litterarum monumentis,& æternitati conſecrarunt. Audeo Iouis lapidem iurare, multo plures ex ſola Auſtriaca domo Reges, & Imperatores omni genere virtutis præſtantiſſimos prodijſſe: quam ex omnibus aliorum familijs mediocres milites,ſigniferos, & centuriones. Relinquo cætera quæ vix à Demoſthene, & Cicerone, nedum à nobis enumerari poſſent tuæ gentis ornamenta, & in Rempub Chriſtianam merita. Inuictiſſimo patri tuo Philippo (vt interdum Carolum auum, & alios Reges, & Imperatores tuos ſilentio inuoluam) omnes omnium generum, ætatum,ordinum,loci,ac fortunæ viri & mulieres, omnem Chriſtianæ Reipub. dignitatem, omnium ciuium ſalutem, bona, fortunas, liberos, parentes, templa in primis Diuorum accepta referunt. Qui hæc omnia ſuis viribus,ſuis conſilijs, ſuis periculis ab immaniſſimis noſtræ religionis hoſtibus defendit, ac tuetur. In te vero non modeſtiam, non pietatem,non clementiam, non pudicitiam,non pulchritudinem, non munificentiam, non ſanctitatem, non alias deniq; Imperatorias virtutes, & dotes omnes deſideramus,quæ in nulla alia virgine,nympha,matrona, regina,imperatrice,Heroine,Diua vnquam fuiſſe vel legimus,vel audiuimus. Quæ cum ita ſint,& vos inter vos eo amore ametis,quo aut Pericles Aſpaſiam, aut Sempronius Corneliam: aut Panthea Abradatam, aut Portia Brutum: ſperamus,ac confidimus potius, daturos eſſe liberos, qui & veſtigia maiorum ſuorum perſequantur,& vniuerſæ Reipub.Chriſtianæ ornamento,poſteritati vero admirationi ſint futuri: & hoc magnificentiſſimum coniugium Deo Opt. Max.

Max adiutore, auſpicatiſſimum, & fortunatiſſimum perpetuo fore. Reſtat, vt hoc noſtrum munuſculum qualecunq; eſt, non à me, ſed à Principe Ranutio veſtræ Maieſtati miſſum putetis: Si vtriq; gratum fuiſſe cognouero, ſublimi (vt cum Horatio loquar) feriam ſydera vertice: & ex meis laboribus, & vigilijs ſatis magnum atq; vberem fructum me percepiſſe arbitrabor. Valete. Placentiæ Idibus Ianuarij: Anno ſalutis noſtræ CIↃ IↃ LXXXV.

AVTHOR AD LIBELLVM.

O FELIX ter & amplius libelle,
Qui legeris ab aurea puella
Regis filia, & artibus politis
Politiſſima ab vnguibus tenellis:
Te Dux Allobrogum vtriuſq; linguæ
Doctus, ſæpe manu tenebit, & te
Poſt negotia voluet, & reuoluet.
Amborum ſtudio domi, foriſq;
Ad modos citharæ, & lyræ canoræ
Hiſpanus canet, & canet Latinus.
Momi, Zoili, & inuidi Theones
Mordete (vt libet) hunc meum libellum;
Dum patrocinio, & ſuo fauore
Carlus & Catherina me tuentur,
Vos, & vulnera veſtra pendo tanti;
Quanti vel Libycus leo iuuencum:
Vel ſimiam lupus Appulus capellam:

CAROLI EMANVELIS
SERENISS. SABAVDIAE DVCIS,
*Subalpinorumq; Principis, & Auguſtiſs.*ma *CATHERINAE Auſtriacæ*
PHILIPPI Sereniſsimi & Inuictiſs. Hiſpaniarum Regis filiæ Epithalamion.

Iano Peluſio Crotoniata authore.

VLTOR ò Heliconij receſſus
Proles Vraniæ Deæ, puellam
Qui ad virum rapis e ſinu parentis
Hymen o Hymenæe Hymen venito.
Te Dux Allobrogum iuuenculorum
Noſtri gloria ſeculi, & prioris
Carolus vocat ad ſuos penates,
Suum ad coniugium, ſuosq; amores:
Hymen o Hymenæe Hymen venito.
Regis filia maximi Philippi
Virginum decus omnium, quot vnquam
Aut Graiæ, aut Latiæ tulere matres,
Te cum candidulis ſuis puellis
Ad ædes vocitat ſui mariti,
Suam ad lætitiam, ſuasq; tedas:
Hymen o Hymenæe Hymen venito.

Hinc Iberia docta, docta & illinc
Te Sabaudia verſibus ſonoris
Noctes atq; dies vocant: iugalis
Vt mos poſtulat, & requirit vſus
Hiſpanus ſimul, & ſimul Latinus,
Flore cinctus amaraci capillos,
Quæſo Theſſalica ocyus ſagitta
Hymen o Hymenæe Hymen venito.
Flammeum cape, luteumq; ſoccum
Pedes indue, teda nuptialis
Dat lucem, & pueri puellulæq;
Dicunt carmine tinnulo viciſſim,
Hymen o Hymenæe Hymen venito.
Vrbs vno ſtrepit ore, voce & vna
Tota regia perſonat, puellæ
Statuta pueris pares & annis,
Fundunt ſydera ad alta cantiones,
Atq; ſæpius intonant vt ante
Hymen o Hymenæe Hymen venito.
Audis? a regione Tranſpadana,
A tractu Ligurum, nouoq; Como,
Vſq; ad Herculei freti columnas,
Ad Indos, Garamantas, ad Sabæos,
Vrbeisq; Antipodum, alterumq; ad orbem
Rumor connubij volauit huius.
Hymen o Hymenæe Hymen venito.
Carlus & Catherina parte in omni
Terrarum celebrantur, atq; vbiq;
Auditur ſonitus lyræ canoræ,
Et plauſus iuuenum. Puellularis,

Et cœtus puerilis vſq; & vſq;
Clamat, atq; iterat magis magisq;,
Hymen o Hymenæe Hymen venito,
De domo ſupera, inferaq; reddit
Hoc idem toties iocoſa imago,
Et cum virginibus iuuenculisq;
Dicit altius, altiusq; clamat,
Hymen o Hymenæe Hymen venito.
Adſis o cito, nec ſinas inanes
Tot voces, tenues abire in auras:
Sed quo tu magis, & magis vocaris,
Hoc curſu magis & magis citato,
Hymen o Hymenæe Hymen venito.
Ad hæc feſta Dei volant: Lyæus
Niſam deſeruit: Minerua Athenas:
Aetnam flaua Ceres: Apollo Delphos:
Faunus Mænala: Lampſacum Priapus:
Iuno magna Samum: Paphon Cythere:
Pan ipſe Arcadiam: Diana Creten:
Sol Rhodon: Tybur Hercules: Camænæ
Fontes, atq; Heliconios receſſus.
Hymen o Hymenæe Hymen venito.
At quem tela iuuant, virumq; cædes,
Mauors fulmineo timendus enſe,
Recto tramite Flandriam petiuit,
Et Farneſia caſtra: magnus heros
Alexander vbi capi negatum.
Traiectum ſuperat, domat rebelles,
Munitasq; loco, ſituq;, & arte.
Vrbeis diruit, & trucidat hoſtes.

Sic

Sic olim in Phrygias erat cohortes
Ferox Aeacides, ferociorq;
Agamemnonis Hector in phalanges.
Hymen o Hymenae Hymen venito.
Dic oro bone Diue Nuptialis
Quae te Theſpiadum in ſpecu remoto
Tanti cura negotij moratur?
Quo magis pueri, puellulaeq;
Tonant altius, altiuſq; dicunt.
Hymen o Hymenaee Hymen venito.
Audis tu minus, & minus vocatus
Venis: te rogo per Deos, Deaſq;,
Et quot flammigerum colunt olympum;
Et quot Terrae habitant mariſq; terga,
Hymen o Hymenaee Hymen venito.
S ineſcis, Catherina Dis amicis
Nubit Allobrogum Duci, venitq;
Talis ad Carolum ſuum maritum,
Qualis Pelea ad optimum marina
Thetis filia Nerei. puellae,
Et vos o pueri altiore voce
In modum ter, & amplius tonate.
Hymen o Hymenaee Hymen venito:
Vt cum ſenſerit hinc & hinc vocari
Se, lubentius ad iugale munus;
Huc ad vos veniat, reuinciatq;
Mentem coniugis vtriuſq; amore
Sancto, & perpetuo, velut tenaces
Implicant hederae arborem virentem.
Hymen o Hymenaee Hymen venito.

Nemo

Nemo ſe tibi comparet Deorum,
Vires ſunt tibi maximæ, & poteſtas
Peringens: ſine te puella nulla
Regum ſanguine nata ſit ſub altis
Tectis, vel genere infimo in tabernis,
Nil refert bone diue nuptialis,
Poteſt edere liberos, parenti
Fama quos bona comprobet. puella
Poteſt hæc eadem volente ſed te,
Patri gignere filios, Senatus
Quos ſatis probet, & probet popellus.
Quis te maior in orbe? iam propinquat
Hymen, pandite ianuam puellæ.
Actutum: pueri venuſtiores
Flores fundite dextera, & ſiniſtra,
Faces tollite, pineamq; tedam
Atq; dicite ter, quaterq; mecum:
Huc fauſto ingredere omine, huc ſecundis
Dis intra bone Diue nuptialis,
Tecum te rogo per tuam Dionen,
Per tuum Genium, patremq; Bacchum,
Intret lætitiæ dator Lyæus,
Præſes connubij Tonantis vxor,
Pallas, Euphroſine, Venus, Cupido,
Pæan, Mercurius, Diana, Nymphæ
Montanæ ſimul, & ſimul marinæ.
Mox vt officium eſt tuum, videbis,
Vxor candida, candidus maritus
Sanctis ignibus æſtuent amoris,
Vitamq; vnanimes agant per omnes

Annos, quos dederint benigna fata.
His actis, animos vtriuſq; nodis
Stringe tardipedis Dei, vel arctis
Vinclis, aut adamantinis catenis,
Quas diſcordia nulla, nulla longa
Annorum ſeries, toriue rixa,
Aut iniuria, iurgiumue ſoluat.
Abite hinc procul Inferas ad oras
Curæ, triſtitiæ, moleſtiæq;.
Hæc dulci Genio dies dicatur,
In qua nobilium cohors virorum,
Cum primoribus omnibus puellis;
Quot ſunt in regione Ciſpadana,
Et ſub Alpibus admodum niuoſis,
Impellunt pedibus ſolum, canoram
Tangit Calliope lyram: ſorores
Mittunt dulciſonos ad aſtra cantus.
Tandem tempora floribus reuinctus
Ad nos venit Hymen. bonæ puellę
Oro dicite, dicite oro Iberę
Reginę, properet gradu citato
Sua ad gaudia, Cyprioſq; luſus.
Tardat ingenuus pudor puellam,
Nec venit, licet hinc, & hinc vocetur.
O tibi male ſit pudor, puellam
Qui vultu, & facie Deabus ipſis
Aequalem, haud ſinis ad ſuum maritum
Vt par eſt, celeri venire paſſu.
Prodeas noua nupta quid moraris?
Matronę peto, ne ſatis, ſuperq;

Vt mos regius exigit, iubentq;
Leges fœmineæ, dieſq; feſti,
Sponſam veſtibus aureis grauetis,
Aut baccis oneretis, & ſmaragdis,
Vel fuco faciem, & comam linatis,
Quo formoſior, elegantiorq;
In veſtro videatur eſſe cętu.
on hanc poſcit opem puella regis
Per ſe pulchra ſatis, ſatisq; bella.
Sol nil ſplendidius, politiuſq;
Vidit, aut videt, aut videbit olim.
Proin mittite virginem marito,
Et nos exhilarate curioſos:
Prodeas noua nupta quid moraris?
uid fles? deſine flere, non leoni
Seuo traderis, aut lupo rapaci,
Sed Duci Allobrogum tuo marito,
Quo non pulchrior alter orbe toto,
Nec venuſtior, elegantiorq;
Aut eſt, aut fuit, aut erit iuuencus.
Prodeas noua nupta quid moraris?
inc fouet Venus, & fouet Cupido,
Hoſtes cominus, eminuſq; Mauors
Et haſta, & gladio docet ferire.
At Phębus pater, & Minerua mater
Suas delicias fatentur eſſe.
Prodeas noua nupta quid moraris?
enat iuſtitia viros ſuperbos,
Syncero retinet bonos amore,
His dat pręmia magna: punit illos
Graſ

Graui ſupplicio: & cauere nouit,
Vt æque timeatur, atq; ametur.
Prodeas noua nupta quid moraris?
Eſt idem iuuenis pius, modeſtus,
Clarus ingenio, eruditione,
Summa, & eximia benignitate
Hinc ad ſydera notus in poetas.
Prodeas noua nupta quid moraris?
Ille lacteolis tuis papillis,
Ille molliculis tuis ocellis,
Ille purpureis tuis labellis,
Dabit baſia totq; totq; totq;:
Turba plurima quotq; quotq; quotq;
Nunquam dinumeret decem per annos;
Prodeas noua nupta quid moraris?
Me vide, nihil & nihil pericli eſt,
Ne pulchris alijs datus puellis,
Probra aut turpia perſequens, relinquat
Te virgo Catherina; plus amabit
Te, quam vel teneras ſuas medullas,
Vel ſuos oculos, ſuamq; vitam.
Ille te geret in ſinu, nec vlla
Rege vel patre nata, vel colono,
Virgo candida tota, tota bella
A talo pedis ad caput, placebit,
Aut vnquam poterit placere: ſoli
Tibi fixus erit, tuoq; ab ore
Lato longius haud abibit vngue.
Prodeas noua nupta quid moraris?
Iuno te vocat ad iugale fœdus,

Author connubij ad tuos amores,
Coniux Carolus ad tori paratas
Molles delicias, iocosq; dulces.
Prodeas noua nupta quid moraris?
Tardat ingenuus pudor puellam,
Nec venit, licet hinc, & hinc vocetur.
O tibi male ſit pudor, puellam
Qui forma ſimilem Deæ Dianæ
Arcta compede detines ligatam,
Ne ſtatim veniat ſuum ad maritum.
Prodeas noua nupta quid moraris?
Hunc diem Proceres, viriq; magni
Quot Bætim, et Durium bibunt, Tagumq;,
Sebethum, Ligerim, Padum, Garumnam,
Et Rhenum, & Rhodanum, vagumq; Tybrim,
Ludis, lætitia, choris, iociſq;
Colunt, & celebrant honore ſummo.
Vates egregij Attici, Latini,
Germani, Calabri, Britanni, Iberi,
Galli, Sarmatæ, & Arcades, ſonoris
Tollunt carminibus ſuis ad aſtra.
Prodeas noua nupta quid moraris?
En tuus Carolus verendus heros,
Magno accenſus amore coniugali,
Te Sole exoriente, te cadente,
Abſentem vocat: ah benigna virgo
Longam rumpe moram, tuiq; amantis
Miſelli miſerere: quæſo ſurge,
Perge, curre, vola, tuumq; Carlum
Aſpectu facias tuo beatum.

Prodeas noua nupta quid moraris?
Per te, per roſeos tuos ocellos,
Per tuum caput, & tuam iuuentam,
Per dulcis patriȩ lares, per ambos
Qui tantam genuere te parentes,
Fer pedem citius foras, chorumq;
Vultu redde tuo nimis beatum.
Prodeas noua nupta quid moraris?
In mora ſatis, & ſatis fuiſti,
Prodi te rogo, pompa nuptialis
Te manet: pueri puelluleq;
Matrimȩ ſimul, & ſimul patrimȩ
Quaſſant lampada, nuptiale carmen
Dicunt, & nimis & nimis queruntur
De te, quod ſatis & ſatis moraris:
Prodeas noua nupta quid moraris?
Iuno connubium probat: Diones
Firmat filia: lege nuptiali
Dulcis ſancit Hymen: ligat Lyȩus
Pace perpetua: Chariſq; amore
Firmo: Iupiter alta ab arce cœli
Rex lȩuum tonat, alite & ſecunda
Has res ire ſinit, tibiq; nutu
Hȩc connubia fauſta pollicetur.
Prodeas noua nupta quid moraris?
Iberus bonus, & bonus Sabaudus
Nectunt hoc hilari die corollis
Crines, in plateis faces, & ignes
Accendunt: dapibus, iocis, choreis
Produnt lȩtitiam, ante quam tenebant

Clauſam cordis in intimis latebris:
Prodeas noua nupta quid moraris?
Iam prodit Catherina, qualis olim
Venit ad Phrygium Parin Cythere
Cum nata Iouis, & Iouis ſorore.
Riſus, lętitię, ſales, lepores,
Venuſtas, grauitas, iocus, voluptas,
Dulci nectare dulcior loquela,
Et modeſtia, caſtitas, & omnes
Virtutes comitantur hinc, & illinc.
O tibi bene ſit pudor, puellam
Qui tandem probitate ſingulari,
Ore purpureo, vagiſq; ocellis,
Sic Heroidas inter eminentem,
Ignes inter vt ętheris minores
Luna tempore noctis eniteſcit,
Mittis ad thalamum noui mariti.
O ter coniugium, & quater beatum.
Veniſti noua nupta, virgo bella,
Tota candida, tota pulchra, tota
Succiplena, tenella, mollicella,
Regum ſanguine nata, moribusq;
Sanctis prędita, larga, liberalis
In vates inopes, maliſq; preſſos.
O ter coniugium, & quater beatum.
Cedit conſilio tibi marita
Priſci Tarquinij: fide iugali
Mater Telemachi: parens duorum
Gracchorum eloquio: nitore formę
Ledæ filia: moribus pudicis

Vt Lucretia: ſic amore ſancto
Alceſte: bonitate non Sabinæ
Tantum, ſed Latiæ nurus, & ipſæ
Diuæ, quæ rutilum tenent olympum.
O ter coniugium, & quater beatum.
Vin verum ſatear? mihi videris
Non vno imperio puella digna,
Sed digniſſima pluribus: cuiq;
Totus ſeruiat orbis: & Britanni,
Medi, Perſæ, Arabes, Scythæ, Geloni
Ponant aurea templa, victimaſq;
Mactent, & veluti Deam precentur.
O ter coniugium, & quater beatum.
Cernis o puer, o puella cernis,
Quantum ſplendidulo niteſcat ore?
Ac quas e nitidis ſuis ocellis,
Ac quas e niueis ſuis papillis,
Ac quas e teneris ſuis labellis,
Emittat Veneresq; Gratiasq;?
O ter coniugium, & quater beatum.
Vos extinguite lampadas puellæ,
Et faces pueri. puellæ ocelli
Cœli ſydera bina; non ocelli,
Dant lucem ſatis, & ſatis nitorem,
Noctemq; efficiunt diem ſerenum.
O ter coniugium, & quater beatum.
Quo figit niueos pedes, ſoluta
Diſtinctos vario colore flores
Paſſim Terra creat: canunt volucres,
Gaudent prædia: ſyluulæq; rident.

O ter

O ter coniugium, & quater beatum.
Pro Lymphis fluuij, vagiq; fontes
Lacte & melle fluunt, rubuſq; amomum
Pro ſpinis domino ſuô miniſtrat:
Vt dicam ſemel, aurea illa rurſus
Saturni veteris rediuit ætas.
O ter coniugium, & quater beatum.
Amor curſitat ales huc, & illuc,
Per corallina labra, per decorum
Pectus, per roſeas genas, per ora
Plena nectaris, & ſuauitatis.
O ter coniugium, & quater beatum.
Ipſe plus ſolito renidet aer,
Spirant mollius aurulę Fauoni,
Curſuq; Eridanus fluit quieto,
Et Sol plus nimio ſuos micantes
Oſtendit radios. Bonę puellę
Expertę Paphię Deæ palaſtram,
Locatæ in Tyrio toro puellam,
Et precantia verba dicitote.
O ter coniugium, & quater beatum.
Felix Carole ter, quaterq; felix,
Exulta nimis, & nimis triumpha,
Bonis auſpicijs, Deiſq; lætis,
Centum ſemideis procis negata,
Mille Regibus expetita coniux,
Tibi coniugio datur puella
Formoſiſſima, & omnibus Deorum
Aucta muneribus. Peritus augur,
Augur augure patre procreatus,

Calchas Marmarides, agente Phœbo.
Puri pectoris Entheos meatus,
Canit, progeniem tibi daturam
Auis Auſtriadis parem, tuiſq;
Humbertis, Amadis, Petris, Aymis,
Carlis, Emmanuelibus, Philippis.
Claſſe quę repetat Cyprum, Scythaſq;
Deturbet: Veneris beata tellus
Rurſus ad dominos tuos redibis,
Nec te barbara turba barbarorum
Lędet amplius, ampliuſq; ferro,
Et flamma tua tecta lancinabit.
Felix Carole ter, quaterq; felix.
Noſter abſq; metu viator ibit
Tutus ad Solymas, locumq; viſet,
In quo Chriſtus homo, Deusq;, nobis
Pro mortalibus omnibus dolores,
Et mortem tulit arbore in cruenta.
Felix Carole ter, quaterq; felix.
De ſtirpe Othomana impotens tyrannus
Qui nunc Adriaco imminet profundo;
Et Cretę excidium minatur: intra
Clauſtra Boſphorij ſinus tenebit
Suas innumerabiles triremes.
Felix Carole ter, quaterq; felix.
Vt te digna viro puella: ſic tu
Tali coniuge dignus es maritus:
Illi Carle places: tibiq; & illa
Omnes ante alias placet puellas.
Vos inter nimis & nimis beatos

Primus hic amor, vltimuſq; fiet:
Ambos copula firma colligabit,
Nec malis querimonijs reuulſus
Suprema citius die valebit
Amor ſoluere: ſic in arce cœli
Sanxit pronuba Iuno, ſanxit Hymen.
Felix Carole ter, quaterq; felix
Tali coniuge bella, & eleganti,
Inceſſu mihi non videtur eſſe
Mortali patre nata, ſed vel vna
Magno ſanguine Cęlitum, vel vna
Choro ex Pieridum nouem dearum,
Aut Phębi ſoror, aut parens Amoris:
Nam nec vox hominem ſonat: nec oris
De mortalibus indicat figura:
Felix Carole ter, quaterq; felix.
Hęc te non minus ac ſuas medullas,
Et ſuos oculos, ſuumq; patrem
Annos ſemper ad vltimos amabit:
Nec illi iuuenis placebit vllus,
Quamuis rege ſatus parente, grandem
Vincat Neſtora mellea loquela,
Forma Nirea, viribuſq; Achillem.
Felix Carole, ter, quaterq; felix.
Hęc venuſtior omnibus venuſtis,
Solis lampade purior puella,
Tibi iuncta ſuo comes fidelis.
Tecum per loca Caucaſi niualis,
Per ſaltus Libyę, per ęſtuoſas
Syrtes, perq; Herebi profunda regna

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Iret læta, nihil timens pericli.
Felix Carole ter, quaterq; felix,
Gaude ſorte tua, foues puellam
Claram ſtemmate, melle dulciorem,
Dignam viuere in inſulis beatis,
Immo in ędibus aureis Deorum
Dignam ducere nectar, & ſalubris
Cum Dîs ambroſię frui ſapore.
Felix Carole ter, quaterq; felix,
Si nunc Emmanuel tuus videret
Tale coniugium pater, vel ipſa
Mater Margaris, omnibus profecto
Pleni lętitijs forent: ſed ambo
Vt eſt credibile, in domo Tonantis,
Quam nos Empyream vocamus arcem,
Tali virgine gaudio triumphant,
Et lętiſſima quęq; comprecantur.
Felix Carole ter, quaterq; felix.
At Dux Saxonię tuus propinquus,
Ducum maximus omnium, quot vnquam
Hoc Germania ſeculo creauit,
Et poſthac alijs creabit annis,
Pro tua genetrice, proq; patre,
Tanta coniuge, nuptijsq; tantis
Vt decet, tibi gratulatur: atq;
Fortes Saxonas excitans ad omnes
Pompas, gaudia, feſta lęta, plauſus,
Signum lętitię dat ore, flamma,
Et cultu vario, locos per omnes,
Quot ſua ditione ſunt in ampla.

Felix

Felix Carole ter, quaterq; felix.

Ardet Gallia tota, tot per vrbes
Accenſis facibus, potens & ipſe
Et regno, & ditione Rex auita,
Summa non ſine gratulatione,
Pro te Carle nepote, proq; nepte
Te ſua Catherina, vbiq; ludos,
Et ſpectacula magna lętus edit:
Felix Carole ter, quaterq; felix.

Es contra Catherina ſponſa bella,
Fortunata nimis, nimis beata,
Tali iuncta viro, patres, auiq;
Cuius, ſemine regio creati,
Cepere Armeniam, Rhodon, Geneuam,
Flandros, Allobrogas, domos Oſellę,
Burgundos, Capuam, Salutiaſq;
Et Troię Tenedum inſulam propinquam,
Achaiam, Ligures, & vſq; & vſq;
Inter magnanimos Duces, & inter
Heroas pietate clari, & armis,
Domi, & militię fuere ſemper.

Horum perſimilis tuus maritus
Carlus, auxilio tui parentis
Regis maximi, & optimi Philippi,
Breui reſtituet tibi, quod ante
Amiſſum eſt vitio patrum ſuorum.

Herois Catherina virgo ſancta,
Pulchra, caſta, pudica, honeſta, bella,
Nunc es filia Regis, hinc ab annis
Paucis, Cœlicolûm Deûm fauore,

Regum mater eris, dabiſq; reges.
Si vero (vt ſuperis Deis placebit)
Fœmellas paries, pudore, forma,
Sanctis moribus, integraq; vita,
Erunt perſimiles tuæ parentis,
Quæ magno patre rege procreata,
Et magno quoq; copulata regi,
Te magnam Heſperiæ vltimæ creauit
Reginam Allobrogum Duci locandam.
O ter Lectule, ſeptieſq; felix,
Quæ te gaudia, quæ manet voluptas?
Hæc nox Threicijs notis notanda,
Quam magnum cumulum tibi bonorum,
Et quot millia luſuum latura eſt?
Sic te nec caries, nec ipſa rodat
Vetuſtas, rogo, ne moleſtus vnquam
Tantæ lætitiæ obſtrepas: ſed ambos
Sponſos dulciculoſq; amabileſq;
Cum riſu, atq; ioco, facetijſq;
Sinas ludere aduſq; Solis ortum.
Formoſiſſime Veſper, os decorum
Sabaudis aperi cito, & marito
Fer noctem reliquis beatiorem:
Hic dies Carolo videtur eſſe
Anno longior: hinc ſubinde ſpectat,
An ſta nimis videat micare cælum:
Si te oſtenderis ocyus, quotannis
Auratis tibi cornibus iuuencus
Immolabitur: ipſe ſtabis albo
Non ex marmore factus, ex vel ære,

Sed auro ex ſolido, putoq; puro,
In ſacro Veneris Deæ ſacello.
Iam licet venias noue o marite,
Illa ad gaudia, gaudia illa, mater
Quæ Cupidinis aurei Cythere
Quinta parte ſui replet liquoris.
Sponſa eſt in thalamo tibi parata,
Qualis eſt roſa florido in vireto,
Aut puro viola irrigata rore.
Te Venus iuuet, & iuuet lyæus,
Hymenq; efficiat patrem venuſtæ
Trolis, es nihil, & nihil moratus;
Veniſti ſubito ad torum vocatus.
Da nunc (vt libet) inclytæ puellæ
Ori baſia mille, mille fronti,
Genis altera mille, mille collo,
Dein mille altera, dein ſecunda mille,
Atq; hæc inſuper adde & his, & illis,
Centum millia centies capillis,
Mille millia millies ocellis,
Centum millia centies papillis,
Mille millia millies labellis,
Vt tot millia multa baſiorum,
Et tot baſia centies petita;
Et tot baſia millies remiſſa,
Nullus dinumerare curioſus
Poſſit, aut mala faſcinare lingua,
Cum certum numerum tot hinc, & illinc
Datum neſciat eſſe baſiorum.
Non ſic arctius vlla vitis vlmum,

Nec

Nec ſic preſſius vlla ſtringet alnum
In hortis hedera: vt manu tenaci
Hinc, & hinc bene firmiter retentam,
Ipſe in purpureo tuo cubili,
Amplexabere regiam puellam.
Sed quid ſtultus ago? Thalia quo me
Tui plenum adigis? poeta ſiquis,
Aut rhetor calamo velit referre
Carli blandicias, leueſq; luſus,
Et iocos: prius ætheris nitentes
Ignes, aut Libyci maris minutos
Piſces enumerabit, aut volucres
Cæli: vir noue viribus Milonem
Ad terram dare qui potes, puellæ
Zonam ſolue tuę: nihil timeto
Illam inuadere cominus: tenellis
Licet ſæuiat vnguibus, petatq;
Pugnis, morſibus, improbiſq; verbis.
Quanto preſſius ipſa te repellit,
Tanto tu Paphiæ peritus artis,
Illam fortius vrge & hinc, & illinc,
Donec ſe tibi tradat, ac trophæum
De victa ſtatuas tuo in cubili.
Conſortes ter, & amplius beati,
Dum tempus ſinit, & ſinit iuuentas,
In lecto Cypriam fouete luctam:
Vt breui exoriatur ex vtroq;
Suum qui referat puer parentem:
Suam quæ referat puella matrem:
Patris nomine nuncupetur infans,

Matris nomine virgo nuncupetur,
Vt Carli & Catherinæ in orbe ſemper
Viuant nomina gentium per ora.
Vna ne probet, improbet quod alter,
Vnum ſit ſtudium, vna ſit voluntas,
Et concordia, qualis eſſe fertur
Cornicum, ſine lite, vel querela.
Sed quando ſatis, & ſatis licenter
Ipſi luſimus, o bonæ puellæ,
Et boni pueri, redite læti
Domos quiſq; ſuas: Deumq; mecum
Votis, & precibus rogate, viuant
Sano corpore, mente ſaniore,
Sponſi floriduli, & venuſtuli ambo,
Felicem Pylij Ducis ſenectam.

IN ARIPHRONIS SYCIONII Pæanem Paraphraſis.

VEneranda Diua Sanitas,
Præſens vocata noſtras
Audi preces: & Atropos
Dum Parca me reſeruat,
Et veſcor hac ſpirabili
Aura, morere mecum:
Fida & perennis hæreas
Nobis vbiq; conſors.
Arbor grauata fructibus
Si gratię quid affert,

Loculine

Loculiue ſi pecunia
Rumpantur, ædes ſplendeant
Auro, patriue proles
Numeroſa ſit, corolla
Stringat capillos, dextera
Sceptrum, cupita præda
Cedat dolis vel artibus,
Facilemq; ſe Cytherea
Vltro volensq; præbeat,
Aliunde ſeu voluptas
Adſit, vel hora lætior
Laxet graues labores,
Hæc iuncta tecum Sanitas
Florent, vigentq;, verum
Si ſola deſis, protinus.
Nihil videtur vltra
Pulchri, boniq;: lugubres
Sed lacrymæ, querelæ,
Et cuncta ſquallor occupat.
Demum beata Sanitas
Niſi quem bearis ipſa,
Beatus eſſe non poteſt.

Ex Diphilo.

EXISTIMAS ne mortuos,
Vixere qui prius male,
Fugiſſe Numinis manus,
Vt inſcias flagitij?
Deus intuetur omnia.
Extare namq; credimus

Duas

Duas ad Inferos vias,
Quarum vna ducit impias,
Piaſq; gentes altera.
Furare, frauda, ſurripe,
Et miſce cuncta: ſed caue
Fallare: nam rector Deus
In Inferis poſt iudicat.
Cuius tremenda numina
Ego ipſe non auſim loqui.
Vitam ille quamuis proroget
Peccantibus: ſi quiſpiam
Eum latere exiſtimat
Iniqua facta & improba,
Aberrat hic tota via,
Erroris & conuincitur,
Cum tempus offert ſe ſuæ
Punitionis commodum.
Attende qui negas Deum,
Eſt eſt Deus: ſed præditus
Si mente quis mala, facit
Male, ponat in lucro moram:
Aliquando nam tandem miſer
Peccata iam luet ſua.

Ad Ill. Hieronymam Terſiam.

IN Gallia togata
Puella nata nulla eſt
Adhuc: Dij Deæq;
Cui plus ab arce cœli
Infuderint bonorum

Quam Terſiæ: parentes
Domi foriſq; claros
Eſt nacta: Diua celſi
Prænestis, Antijq;,
Quæ ſceptra dat tyrannis
Aufertq;: habere magnas
Opes dedit: Minerua
Ab vnguibus tenellis
Arte expoliuit omni.
Ex ore ſuaueolenti
Veneresq; Gratiasq;
Spirat: medulla Suadæ
Hæretq;, ſeſſitatq;
In dulcibus labellis:
Ex aureis capillis
Puer aureus Cytheres
Laqueos facit, iuuencos
Queis nectit, & ligatos
Secum trahit per vrbem.
Ambas genas putabis
Miſtas roſas liguſtris:
Ab igneis ocellis
In obuios ſagittæ
Iaciuntur hinc, & illinc.
Per colla, per papillas,
Pectusq;, luſitantes
Cum Gratijs Amores
Licet videre: frontem,
Caput, manus, lacertos,
Eburneoſq; dentes

Non

Non eſt opus referre:
Nec illa quæ ſub ipſa
Sunt veſte tecta membra:
Namq; hæc nefas videri.
O ter quaterq; felix
Vir ille, nuptiali
Cui lege danda ſeruas
Tot gaudia. Hic beatos
Quot Terra nutrit omnes,
Felicitate vincit.

De Terilla.

CVM ſenſit in cubili
Adulterum Terilla,
Inferre vim parantem,
Illum manu tenella
Quantum poteſt repellit.
Minatur ille mortem
Mucrone nudo, & ore,
Venerem ſibi torumq;
Si deneget. Puella
Nihil morata, ferro
Collum obijcit, gemenſq;
Mors inquit iſta lectum,
Et integrum pudorem
Seruet mihi, & marito:
Nec plura: paſſa vulnus,
Torum cruore fœdat.
Iam deſinant Quirites
Vocare ad aſtra tantum

Lucretiam. Terilla
Mihi videtur eſſe
Maiore laude digna.
Mori illa concupiuit
Amore capta famæ:
At hæc honore ſancti
Connubij, & pudoris.

In Camelum.

O QVI meos libellos
Legis Camele, & vſq;
Clam carpis, oro ſiquos
Habes tuos, venire
Sinas in ora vulgi.
Suos Crotoniata
Iam protulit. periti
Tunc Iudices videbunt
Quid ſentiant, ſubire
Num debeant culinam,
Veſtire vel ſiluros,
Noſtri an tui. Quid iſtuc
Samij velut magiſtri
Auditor obticeſcis?
Nullos habes. Abito
In rem malam, tuiſq;
Conuiue cum Camelis
Vt dignus es. Tua ipſe
Maledicta curo tantum,
Quantum lupus capellas,
Iouis ales aut columbas.

LAVS DEO.

Eſt hic habendus. indicat
Homerus hoc. qui ſcripſerit
Cum verſuum tot millia:
Nulli vocatus eſt loquax.

Ex Philemone.

MEdicus mihi hortulus meus
Eſt: namq; me nutrit velut
Aegrum: exhibens cibaria
Exigua: nec tantum meri
Mi largiens: quantum queam
Olfacere. ſponte dat mihi
Obſonium ſaxatile,
Sic aſparagos, vt cappares,
Thymumq;. quę miſer nimis
Formido, ne corpus meum
Sic tenue reddant & macrum,
Iam cogar vt tandem mori.

Ex Alexide.

NIL tam tenebris obſitum,
Quod inuenire non queas,
Si te laboris non piget.
Si namq; partem maximam
Cæleſtium rerum viri
Quidam inuenere, tam procul
Diſtare quas nos cernimus:
Conuerſiones ſyderum,
Curſum, & Labores Cynthij,
Lunæq; defectum ſimul.

Humana nulla res erit
Sic clauſa, tecta, & abdita,
Vt inueniri non queat.

Ex Philemone.

AN tu Metelle exiſtimas
Fuiſſe cornu Copię
Vt à poëtis ſcribitur,
Ditiſſimum cornu bouis?
Aurum per anſeres erat:
Quod poſſidere ſi queas:
Ad vota mox præſto tua
Parata habebis omnia:
Teſtes, amicos, prædia,
Et ne loquamur plurima,
Quodcunq; concupiueris.

De Lollio, & Cupidine.

DVM Lollius medetur
Vtriſq; cæco ocellis
Cupidini Cytheres:
Fit (res ſtupenda dictu)
Cæcus: videt Cupido.

De Biante.

CVM ſæuus hoſtis vrbem
Euerteret Prienen:
Ciuis ſtudebat omnis
Portare cuncta ſecum,

Quę

Quę poſſet ex paternis
Opibus, ſuiſq; rebus.
Rogatus à ſodali
Bias decus ſophorum,
Cur ipſe nulla ſecum
Ferret bona, ad tuendum
Semet, ſuamq; vitam:
Reſpondit ille ridens.
Amice porto mecum
Bona omnia huc, & illuc,
Nihilq; porto mecum.

Ad Muſas.

O Quæ comas virentes
Muſæ tenetis Hemi,
Aeſtuq; vos furente,
Vitreis lauatis vndis,
Quas vngula caballus
Effodit ales olim:
Precor Crotoniatam
Doctis choris amicum,
Et Sapphicis labellis
Veſtrum decus canentem,
Secernite à popello.
Libeatq; me tueri
A dentibus Theonis,
Morſuq; Barbarorum.
Si Laureis corollis
Vincire, vel corymbis
Meum caput placebit:

In patria Milonis,
Vel Gallia togata,
Vos verſibus iocoſis,
Et legibus ſolutis
Numeris ad aſtra tollam.

L A V S D E O.

Candido Lectori Salutem.

Nullus eſt tam Lyncæus, qui in corrigendis ſuis Libellis, aliquando non cæcutiat. Proinde amice Lector te etiam atq; etiam rogo, noſtra Errata ſic corrigas.
In pag. 9. pro Hellenen corrige Helenen.
In pag. 11. & aliis, pro genetrix emenda genitrix

In Epithalamio Ducis Sabaudiæ.

In pag. 9. pro inanes repone amicas In pag. 12. pro animos lege animum In pag. 28. pro Vt inſcias flagitij? ſubſtitue Vt flagitij, & mali inſcias?

In Epicedio Card. Borrhomæi.

In pag. 12. in verſu 23. vt muta in et In pag. vero 15 pro omnipotentem ſubde illum potentem Vale.